

crebra earundem rerum repetitio, curiosum lectorem retardaret. Et quoniam physica herbarum diuisio, à paucissimis tentata, à nullo adhuc facta est, (nam diuisiones ex loco, tempore, florum pulchritudine, colore, figura, radicum foliorumque, viribus, purgandi, alterandi qualitatibus elementaribus desumpta, omnes sunt accidentales, & species nimis sciungunt,) ideo Auctor noster maluit diuisionem herbarum medicam, Dioscoridem nimirum secutus instituire, progrediendo per sapes, qui longe certissimi sunt omnium facultatum indices, vt & Galenus neruose admodum peculiari opere, libro nempe quarto de facultatibus simplicium comprobauit, & ante eum Hippocrates, breuiter, sed accuratè attigit.

Omnium medicorum & philosophorum, quorum de saporibus extant monumenta in eo consentiunt, sapes constare ex terrena aliqua substantia, cui humiditas aquea sit commixta. modum tamen non explicant quomodo ea fiat mixtio, aut qua ratione fiat cunius saporis in alterum transmutatio. vnde in hac tractatione multa adhuc supersunt difficultates enodanda, in quibus philosophi sua poterunt exercere, & acere ingenia. Inter sapes merito primum locum occupat acrimonia, non ob uehementem tantum actionem, sed etiam virium varietatem. In hoc sapore deprehenditur per experientiam magna salis subtilissimi copia. qui sal terreis partibus vnitus, instar ignis in densa materia constituit, & linguam, & partes omnes corporis humani penetrat, diuidit, & vit, eoque modo subtile vaporosum à crasso separat. vnde vires incidendi, per urinam, & sudores purgandi exoriuntur.

Hæc etiam incidendi vis si natura humane sit molestior, parit omnes purgationes, quæ in quavis parte euenire possunt. sic acria naribus indita, sternutamenta prouocant, sic acrimonia humorum in capite epilepsiam, & convulsionem excitat, ubi natura irritata omnibus viribus rem ita mordicantem, cupit expellere. sic acria per os sumpta purgant, & per vomitum, & per secessum, vt insinitis patet experimentis, herbarum, oleorum destillatorum, acryum, venenorum fere omnium, salium omnium, quæ in finitum foret singula persequi. Sic etiam in corpore humano acrimonia vniue est causa excretionis, & acrimonia humorum dysenteriam mouet. vnde Galenus ait hypercatharsim, libris de facultatibus simplicium, ab acrimonia humorum, & irritatione nature fieri. Sed hæc ab alijs fusè tractata sunt.



De

De *AHVAPATLI*. Chamedri Mexicana.

Cap. I.



**H**ERBA fruticans est *Ahuapalis* folia *Quercus* ferès, multosq; fundens caules purpureos, & in eorum summitate luteos flores, paruos, ac minimè senescentes. radicem longam, crassam, & fibratam. Nascitur temperatis regionibus, aut paulò calidioribus, qualis est *Tacapichlensis*. Sapor est acris gustu, gratusq; odor. calefaciens quarto circiter ordine, & exiccans natura. Ius decocti depopulatur pediculos, fumus cimices fugat, dolores ventris, à frigida causa ortos sedat, flatum discutit, dyarreas coëctet, & cholico, iliacoq; affectui infusa auxiliatur. Præcipuus vsus est radicum.

De *ACXOYATIC*. Herba Nunnij.

Cap. II.

**A**CXOYATIC, quam alij vocant *Tlachpahuaztic*, seu scopas, alij verò *Tlacocol*, seu humilem radicem, ac vndulatam, ob contortæ radicis formam, & alij ob exilitatem *Pipitzahuac*, aut *Yzacpatlis Pipitzahuac*, parua est herba, folia ferens abiegnis familia, cauliculos spithamam longos, tenues, ternos, atque quaternos. flores in supremis cauliculis in spicam compositos, paruos & exiles. qui principio candentes, in semen demum mutantur fusci coloris. radicem gracilem, triplo tamen ipso caule crassiore, contortam, seu conuolutam, atque candentem. Clementi celo nascitur, aut paulò rigidior, quale est Mexicanum. quo fit, vt apud Hispanias, si semen eò deferatur feraturq; sperem nascituram, atq; seruandam. Hæc est herba illa, quæ sub *Nunnij de Chaues* nomine passim celebratur. Radix, cuius est præcipuus in medicina vsus, acrem præstat saporem; odorem tamen nullum. & est calidæ, & siccæ, ordine quarto temperiei. eadem contusa mediocriter, & è liquore aliquo conuenienti curando affectui, matutino tempore, atque inani ventriculo, sex obolorum pondere deuorata, humores omnes, sed maximè pituitam atque bilem, tum per superna tum etiam per inferna, citra molestiam aut noxam vacuare solet. atque ita hydropicis, cachecticis, astmaticis, tincamq; patientibus, magnoperè dicitur con-

Herba  
Nunnij de  
chaues.

M ferre.

ACXORATIC alia.



ferre. potest autem, siue febricitans aeger siue febre careat, virens radix, aridaue, tutius tamen arens paulo minori pondere, exhiberi. dum tamen vitia succi redundant, quos vacuare sit opus, & cibo, qua die sumitur, ad meridiem, parcatur. Eadem tusa, & resoluta ex lotio humano, & infillata, morbis oculorum medetur, ac discurit argemata.

## IO. TERRENTII LYNCEI NOTÆ.

Acxoratic, cuius hic imaginem exponimus, non est ea, quam describit Author, sed ei congener. illius namque effigie hucusque caremus. huic vero radix crassa, folia simul multa ex eodem puncto exeunt, ut in Larice. Et ex ala quamvis flos Volubili similis, ruber cum albedine versus calycem. vasculum deinde sequitur, quale in Volubili, vel Bursa pastoris. Nam an planum, vel rotundum sit diiudicari hic nequit.

De CHILLI, seu Piperi Indico siliquoso.

Cap. 111.

CHILLI, seu Piper Mexicanum, planta est ferens siliquas illas, quæ ab Haitinis Agies, ab antiquis, ut quidam volunt, siliquastra, & ab Hispanis Piper Indicum vocatur, & Capsicum ab Actuario nuncupatur. quæ licet diu in nostrum orbem translata sit, ibiq; & in hortis, & in vasis fictilibus, ornamenti & vsus gratia feratur, & habeatur in delicijs, tamen quoniam apud Indos multo plura eorum genera reperiuntur, & orexi excitandæ, commendandisq; ferculis suppetias ferat, adeo ut nullam sit reperire mensam sine Chilli, atque ideo quotidiano experimento sint illius facultates notissimæ, adductus sum non modo differentias, quæ in noua Hispania proueniunt, de quibus modo agitur, verum specierum fere omnium, quæ adhuc ad manus nostras peruenerunt, exhibere imagines, formas describere, vniuersamq; facultatem, & naturam tradere posteritati. Cunctorum ergo generum folia Solano similia sunt, & pene paria (si Quauhchilli excipias, quæ minoræ eadem fert) & flores candidi. è quibus siliquæ oriuntur, primo virides, mox maiori ex parte in rubrum, & demum in passivum, seu inclinantes colorem, refertæ paruo semine, exili, candicante, contuso, atque in orbem efformato, acris gustus, atque vrentis naturæ; quæ ad semen præcipue attinet. Quartum hæc caloris gradum attingunt, & tertium fere siccitatis, etsi recentes excrementitio quodam humore abundant,

CHILLI, Piper siliquosum Mexicanum.



dant, qui totus pene verustate evanescit. unde fit, ut sæpe excitato flatu, Venerem stimulent, ac interim aluum non sine quodam tenesmo, ac sensu doloris, ijs præcipue qui huiusmodi condimento ante non assueverant, leniter emolliant. Quanquam eius rei acumen nõ immerito causam esse affirmare possumus. Vrinam, & menses euocant. corroborant ventriculum ob frigus imbecillem. coctionem eadem occasione labefactam iuuant. appetentiam contemperato ex eis cū uocatis Tomama intinctu mire excitant. & pituitosos humores vnde cumque, potissimū coxæ adhaerentes articulis, discutiunt, & euacuant. Aiunt, hecticorum peropportunum esse remedium, ventrem lumbosq; aculeis Chilli madentibus perungere. nutrimentum item calens, ac siccum præstant, & ut Indi passim experiri testantur, haud modicum renes tamen excalefaciunt, & inflammato sanguine, atque iccinore ad nephriticos, phræneticos, pleuriticos affectus, peripneumonias, aliosq; tumores internos, & alia similia symptomata, seu nutrimenti, ut sæpissime Indi solent, seu condimenti vice, immodice, aut frequenter abantur, perducunt. Tam calidis, quàm frigidis, temperatisq; locis, ac regionibus proueniunt, sed frequentius temperatis, ac sæcundius, aut calidis. Prior ergo species ( ut singulæ iam membratim enarrentur ) Mexicanis Quauhchilli, hoc est Chilli arboris; Haitinis verò, apud quos minor, orbicularior, & à minori planta edita profertur; Chilli montanum dicitur. minimum est id omnium, & Oleastri baccas, forma & magnitudine repræsentant. cumq; omnia fere genera quarti ordinis calorem attingant, hoc cæteris omnibus sentias vrentius, atque ideo in condimenta, & non in nutrimenta venire, solumq; intinctibus & salsamentis, piperis loco misceri, & toto prouenire anno. Secundum genus Chiltecpin dictum, à Culicibus, quos paruitate & colore videntur imitari, ab alijs vocatur Totocuirastl, quod est passerinum



M 2 rinum

rinum stercus, ob paruitatem & colorem, ab Haitinis verò ( vt audio ) *Huara-buac.* quod licet aliquando videatur prædicto virentius, citius tamen colorem, amittit. At tres videas huius generis differentias natali solum loco, & tempore quo leguntur, distinctas. Prior vulgaris est, altera priori similis, sed solis ratione in atrum inclinans colorem, atque ideo dicta *Tlalchilli*, quod est *Chilli nigrum*. Tertia demum minor est omnibus, & post præcedentem fructum media. omnes enim huius plantæ species triferæ apud Indos sunt, primus fructus maior est, postremus minimus, & natu medius, mediocris quoque est magnitudinis. Seritur Septembris mense, & à Decembri ad Kalendas vsque Aprilis colligitur. Tertiù à sole *Zenachilli* dictum. irriguis enim locis, cessantibus iam imbribus, id est Augusto, & Septembri mense solet feri, & producere fructum à Nouembri, vsque ad Martium, & ab Haitinis *Chilli album*. viride est primò, mox pallefeit, aut ex pallido rubescens est, & demum in rubrum, vt cætera circiter genera, mutant colorem. Quartum dictum *Chilcozli* a colore, quo tingit croceo, quæ eo parantur condimenta, & ab Hispanis Haitinam insulam occupantibus, eadem ratione *Agrocroc.* sex septemue digitos longum est, mediocriter tenue, interdum ex albo rubescens, interdum verò inclinans in passum. Seritur Decembri. & ab Augusto in finem vsque totius anni fit vindemia. Quintum genus *Tzinquahuyo*, quoniam montanum est, vocatur, ab Haitinis verò, ob similitudinem formæ, & coloris, *Corallum*: gracile est, & quinque digitos longum. Seritur Martio, & totius anni decursu proueniens legitur. Sextum *Teschilli*, seu *Massum* vocatum à mollitudine, longum est, amplum, particeps dulcedinis, rubri coloris, atque adeo mitis acrimoniæ, vt cum *Tlaolli*, seu placentis ex Indico tritico paratis, mandi conducatur. multique, & optimi existimatur ab Indis esse nutrimenti. Idem genus fumo expositum exiccatur, vt in annuos vsus commodè

recondi possit. alioqui corruptioni valdè obnoxium ob nimium humorem excrementitium, quo redundat. *Pochilli* dicitur, totoq; anno & feritur, & fructum feri. Est & aliud *Mitchilli* dictum haud minus præcedenti, sed in acutum, tenuemq;

Tlalchilli  
li. 11.  
111.



III. Zenachilli.



IV. Chilcozli.




V. Tzinquahuyo.



VI. Teschilli.

VII. Mitchilli.



nuemq; sensim desinens mucronem, tandem quoque rubescens. nec ob aliud ita appellatum, quam quod tempore *Tlaolli* seritur, & metitur, & feri solet, lectum recondi: Quid memorem cæteras species Haitinis peculiare? inter quas ea occurrit, Hispanis etiam nota, quæ fructum fert *Halicacabi* fructui, aut *Cerasis* dulcibus nostratibus, forma, colore, & magnitudine, persimilem, arbutum modo dico innascentem. vocaturq; ab alijs *Stryenodendron*, ab alijs *Pseudo Capsicum*, & ab Hispanis *Guindas de Indias*. Alias præterea duas, quarum alteram *Rostrum stroboli* hodie vocant indigenæ, alteram verò *Passeris*. vtramque ob similitudinem. Item *Maboyam boniacam* corniculatam, *Caçicam* hortensam, & alias quarum historia, quoniam maioris est operis quam vltus, timeo ne sit lecto-ribus ingrata, atque iniucunda.

Hic ab Auctore multa huius *Piperis* species proponuntur, sed & aliqua omittuntur, utpotè *Adedica* curiositate dignæ minus. *Distinctio* sumitur à siliquarum figura, & colore fere tota, ob id siliquarum solummodo imaginis expositæ, integræ verò plantæ icon unica, quod in ea florum, foliorum, aliarumq; partium, non adeò insignis sit differentia. *Siliquarum* igitur quæ in prima figura à dextris, cornu similis, conspiciuntur *Quachilli* est; Bine *Torocuilat*, media *Quachchilo*. Inferiorum acutior dextera *Chibimecachilli* alia *Pochehoachilli*. In secunda maior *Tlalchilli* longa illa, quæ in tertia *Chilcozli*, quæ in eius sinu cordata *Chitlelot*. Quæ in quarta *Teschilli* est. In quinta *Chilcozli* varietas, quæ exilior, quæ crassior *Chilpalhoac*. Sed & aliæ, & varijs nominibus appellatæ. Omnes fere nostris iam Regionibus implantatæ, & in condimentis usum habent, & varium in hortis spectaculum exhibent, in celeberrimo præsertim

VIII. Stryenodendron.  
IX. Rostrum stroboli.  
X. Rostrum Passeris.  
XI. Maboyam.  
XII. Caçica.  
XIII. Aliæ.

*Egyptensis horto ubi (vt audio) plurima inter innumeras omnium plantarum differen-  
tias coluntur.*

*Monardes Capsicum Americanum describit cap. 54. vna cum viribus. eiusq; sa-  
porem. quem cibi condimenti loco conciliat. orientali Piperi anteposit.*

*Quecus Historia naturalis Indice lib. 7. cap. 7. vocat Ascii. & præfert etiam Pipe-  
ri orientali. præsertim si piscibus, & carnibus iungatur.*

**De CHICHIMECAPATLI, seu Chichimica gentis  
medicina. Cap. IV.**



**H**ERBVLA Chichimecapatlis nuncupata, ab alijs verò Tamancapatlis, quoniam primo gustu radix dulcis, & temperata videatur, dicta, folia fert rara, longa, & tenuia, cauleni verò tenuem, et cubitalem, radicem nuci Iuglandi, forma & magnitudine similem, lacte manantem valde tenaci, & glutinosa, intrus candidam extra nigram. Quæ regionibus prouenit temperatis, paulouè frigidioribus, qualis est Mexicana, ac Tetzucana, asperis & mōtosis locis. Radix virēs, arenis (quamquam siccato lacte fit innocentior) ex liquore quopiam deuorata scrupuli vnus cum sicca est pondere, humores omnes, per superna & per inferna euacuat, sed maiori ex parte per inferna. Calenti ordine quarto constat natura, viribusq; vehementibus. Quamobrem non cuius temerè exhibenda est, sed eis tantū, qui viribus valent, nec acuta vexantur ægritudine. aut his, quibus leuiora alia remedia tentata sunt. flatum etiam dicitur discutere, & cholici doloribus opportunè auxiliari. Ex huius radice vnicijs quatuor, & drachma vna Cocoztic, parat Chululēsis medicus, nobile illud, ac tota noua Hispania celebre pharmacum, quo cunctis pene morbis obsistitur, tussis permixtisq;, addito saccharo, & ad solē, donec humor abeat, expositis: deuorandum verò drachmæ vnus mēsurā, quod ita esse iuridico paruit testimonio.

Ricinis forte annumeranda fuerit hæc planta. folia enim Cannabis habet, & semen triangulare videtur. gustusq; vt & in Ricini speciebus initio subdulci videtur, deinde vero guttur vrit, unde vix inter Esulas reponi potest. omnes enim statim acrimoniam suam produnt. Et licet Ricinus apud nos non lactescat, apud Americanos tamen lacte manare posse, non est incredibile, cum regio illa quam nostra sit longè humidior calidiorq;. Sic enim & Nerium apud ipsos lacte abundat, quod in nostro orbe nunquam est visum.

Ufus

*Ufus porro huius medicamenti vehementissimi, non tantum apud Hippocratem, sed & nostro æuo frequens est apud Empiricos, non sine magno commodo & incommodo ventium. pro complexionis varietate, & medici peritia.*

**De CHILPATLI. Cap. V.**



**C**HILPATLIS herba est folia fundens Ocyms, sed maiora, minimè ferrata, et infernè subalbescencia. caules virentes, & geniculis interceptos, sex longos cubitis, septemue. flores modicos, luteos, compositos in corymbos, & in coccineum inclinantes colorē, à quibus demum compinguntur acini, Piperi nigro, aut baccis Oxyachantæ per similes. radicemq; fibratā. Prouenit in calidis Pauhilani, Pupalotiaci, et Hocitalpatl locis planis, & montium accliuibus. feriturq;, & colitur in hortis medicina gratia. Acris est, calidaq;, & sicca ordine quarto natura. initio resinam sapit, postea vrentem ostendit vim. quatuor cataporia, paucioraue, quorum singula binis constent folijs, complicatis atque conuolutis, mira velocitate, & efficacia corpus a cunctis expurgat humoribus. plura verò inducerent periculum. dentium dolorem sedant admota folia; vlcerebus putridis, ac caneris opem ferunt: & infusa aliquandiu Tlaolli potioni, medentur scabiei. lac verò verrucas exedit, & tumores præter naturam rumpit. quinque folia deuorata, aiunt, dysenteriz mederi, exterfo nempe cruore. nam adstrictionis non est omnino expers. scabiei quoque & doloribus articulorum. Sunt qui sagittas eius succo inficiant vice Toxicæ, atque ita commodius ceruus, ferasue consternant.

*Hæc similiter Tithymalus esse videtur, cum lac calidissima natura præbeat. & florem in Corymbo positum habeat. vnde eandem plane vires habet, quas Hippocrates Peplio, alij Authores Esulis ascribunt.*



De

## De CHILPANTLAÇOLLI, seu signo Stercoris. Cap. VI.



Lobelia  
Inflata. D.C.

Chilla-  
colli.



**C**HILPANTLAÇOLLI, seu signum ster-  
coris, quam alij *Tococuitlapil xochitl*, alij  
*Hoitzitzi tentli*, alij *Chilpanxochitl*, alij *Panxo-  
chitl* vocant, herba est parua, ferens folia Salicis  
longa, ferrata, & angusta. caules tenues, & pur-  
pureos. flores longos, rubeos, & circa extrema.  
pallefcetes. radicem longiusculam, & fibratam.  
Nascitur *Totocepeci*, & *Itzocani*, calidis in locis.  
Radix est acris, calidaq; & sicca ordine ferè  
quarto, vrésq; guttur. tusa, appositaq; doloribus  
articulorum, etiam è morbo Gallico oriètib;,  
spleni, contractis neruis, atque impedito mo-  
tui mirè confert. vulneribus medetur, pituitam  
attenuat, & supra infraq; purgat. radix tusa, ac  
trium drachmarum pòdere ex aqua deuorata.  
Ius decocti eius infusù auribus saniem exiccat,  
dolorem lenit, & audiendi facultatem instaurat.  
Est & aliq; herba *Chillacoll* vocata, prædictæ  
similis, dulcis tamen, sed quò adhuc repererim,  
nullius in arte medica vsus.

## De CHILMEÇATL, seu Tcha. Cap. VII.

**H**ERBA est *Chilmeçatl* folia ha-  
volubilem, radices multas, tenues, illis Py-  
rethri similes, non modo forma sed sapore  
acerrimo calidaq; ordine quårto tempe-  
rie. radix admota leuât dolorem dentium,  
veluti per miraculum, eosq; , atque eorum  
radices extergit, & dealbat. laterum dolo-  
rem ex frigore ortum, & cuiusuis alterius  
particulæ placat: præcipuè si cum refina  
*Terebinthina* admoueat. aurium lenit do-  
lores; inueteratos capitis fronti admota  
curat, & venenatis insiectis plagis appli-  
cata, vim adimit veneno. Nascitur hu-  
midis locis, calidifq; aut temperatis *Chi-  
limeçarum*, & ab omnibus indigenis in-  
maximo habetur pretio. qui persuasam  
ha-

habent, mirabile esse remedium aduersus omnia morborum genera, quæ à frigore habent ortum. & nisi folia diuersam formam haberent, ad Pyrethri species hæc planta referri posset.

Quid si ad *Clematides* hanc plantam referamus? folia adsunt bina, sibi contra-  
posita, sine pediculo fere cauli adnascensia, Solano similia, sed duriora. caulis etiam  
repi. & radix summam habet acrimoniam cum aciditate quadam coniunctam,  
qualem in *Viorne* folijs deprehendas. quæ omnia simul sumpta, rix in alia herba  
quam *Clematide* reperias. omnem scrupulum nobis exemisset Author, si florem cum  
fructu, vel in figura, vel in descriptione addidisset.


## De COCOTEMECATL, seu fane Volubili acri. Cap. IIX.



**C**OCOTEMECATL, quam  
alij *Cocotemecatlihuil* vocant, herba  
est folia ferens *Ocyimi* forma, longe tamen  
maiora, angulosaq; & crenata. caulem pur-  
pureum, ac volubilem. flores in postremis  
ramulis pilosos, paruos, abeuntes in pap-  
pos, & ex albo purpurascens, ac radicem  
fibratam. Prouenit *Tacapichile*, & *Quauh-  
queculle* calidis, atque saxosis locis. Folia,  
quæ glutinosa sunt, tusa pugilli mensura,  
atque epota, dysentericis medentur. Radix  
autem caulesq;, quarto sunt ordine exic-  
cantia, & calefacientia, tenuiumq; partium.  
Medentur ophiassi, & lichenibus. drachmæ  
duæ radicis deuorata, dolorem ventris ac  
tormina sedant, euocant vrinam, enixis opi-  
tulantur, earumq; morbis a frigore ortis  
medentur, placant etiam dolores a flatuoso  
spiritu genitos.

Hanc esse *Clematidem* cuius manifestum  
est. illud vnicum dubitationem habet, quod  
folia dysenteria medeantur. Sed qui nostræ *Viorne* folia degustauerit facile huius  
rei causam percipiet. folia illa primo adstrictionem magnam, cum quadam tamen  
aciditate, lingue imprimunt; tandem vero acrimonia, sed valde exigua percipitur.  
nam sal acre permixtum partibus terreis calorem suum amittit, & vim astrin-  
gendi gignit, sicui videmus in *Limonio*, *Rheo*, *Galla*, & similibus euenire. vnde con-  
tingit, vi infusum vel decoctum eorum, purgare possit, præsertim per vrinam,  
& sudores. acrimonia enim in ius transfunditur, licet substantia ipsa exhibitæ,  
fluxiones omnes sistere queat.

## De COCOXIHVITL expurgatoria. Cap. IX.



**H**ERBA est Cocoxihvitl folia habes cordis figura, hirsuta tenuisque, inferne squalida, supernè viridia. caules rotundos, & hirsutos. flores paruos, & luteos, & in postremis caulibus terna grana nigra ciceris forma, & magnitudine, vasculis contenta prodeuntibus ab ipsis foliorum exortibus. & radice fibrata, Tota planta est gustu & odore Thy mi, calideq; ordine quarto temperiei. humores omnes, supra infraq; expurgat. sed precipue crassos, & pituitosos, drachmę vnus potere deuorata. exhiberiq; etiã potest pueris modica portione, p ratione etatis & vigoris.

Inter Conuululos hanc herbam reponendam puto. Videmus enim in omni volubili grana vna vel quatuor nigra, obrotundis vasculis contineri. Et quauis folium magnam habeat varietatem, tamen plerumq; ad figuram cordis accedit. Confirmat hanc opinionem vis purgandi vehemens, qualis nempe in Scammonio etiam reperitur.

## De COCOXIHVITL TEVHCALT-zincensi. Cap. X.



**H**ERBA est hec Cocoxihvitl folia fundens Menthae, scabra, oblonga, subalbida, & ferrata. caulem fuscum. fructum in summis caulibus capitulorum forma è viridi pallefcentem. radicem verò surculosam. Prouenit iuxta cacumina motium regionum calidarum. Calida est, & sicca ordine quarto. gustataq; linguam adurit. odorem spirat Cumini, frigori aduersatur, & ab eo ortos flatus dissipat, tormina sedat, appetentiam excitat, seu herba ipsa deuoretur, seu succus iusue decocti absorbeat. menstrua, et vrinam euocat, reserat obstructa, paralyti medetur, coctioni fert opem, crassos humores incidit, perfrigerata membra instaurat, aliaq; his similia praestat iuuamenta.

## De COHAYELLI, seu CHICHICA HOAZTON, seu herba stratorum foliorum.

## Cap. XI.



**C**HICHICA HOAZTON, quam alij Chichica hoaztic, alij Cohayelli, seu anguem fetentem, alij Tlipozon, seu nigram, et fetentem plantam vocant, herba est spinosa, proferens Cirsiij folia, longa, & angusta, ferrata, et spinosa, vnde nomen. caules rotundos, cauos, purpuralescentes, et in eorum cacuminibus capitula spinifera, et obrotunda. radicesq; fibratas. Prouenit temperatis ac motosis locis, quales sunt Quauhpepecenses. Calida ordine quarto natura constat, Sifaris sapore, odorato tamen, et acri. Radix trita, ac deuorata pondere drachmarum trium ex aqua vncijs decem, ventriculi imbecillum calorem roborat, dolores ventris, ac caeterorum membrorum è frigida causa ortos sedat, flatus discutit, cholicae, et iliacae confert, vrinam, et menses euocat, satietati medetur, venerem stimulat, ac ventriculolum impensè frigescentem confirmat, fouet, et morsibus serpentum venenatorum medetur. Quae omnia efficacius praestat, si ex vino, liquoreuè alio calenti, et roborante offeratur. quin tumores praeter naturam admota dissipat, humores articulis infartos attenuat, ac discutit, et cuius frigida medetur intemperiei.

Ad Dipsacum, vel Scabiosam, forte referri poterit. capitula enim admodum sunt similia, & folia ex oppositione bina, quasi vnum sunt, sicut & in Labro Veneris licet conspiciere. quin & vires Scabiose non abluunt multum. est enim satis vehemens in purgandis omnibus humoribus, ob insignem amaritudinem.



## De COÇOTATIC, seu herba Palma simili. Cap. XII.



COÇOTATIC herba, quam Michuacanenſes *Xabuique* vocant, folia proferte Porri, Palmæuè humilis, vnde nomen. et in caule flores longos, et purpureos, caliculorum forma. radicè capitati Porri inſtar. vbiq; prouenit. radix cõtrita, admotaq; narib. protinus ſternutamentum ciet, ac trahit pituitam. quo fit, vt ea Indi Medici, quos vocant *Titici*, veluti certiffimo quodam indicio periclitentur, qui nam ex ægris, qui curandi ſibi contigère, ſunt morituri, aut qui ſanitati tandem reſtituentur. eadem drachmę vnus meſura deuorata, vrinam dicitur euocare, et dyſentericis mederi. mures necat carni permixta. ius verò decocti pediculos, ſi caput eò lauetur. Hęc eſt illa nobilis planta, quæ concifa minutim, et in muſam cõiecta, muſcas omnes pererrantes domũ eſtatq; præcipuè tempore moroſas, atq; moleſtas, dulci eſca inuitatas delet, ac perdit. Acris eſt, calidaq; et ſicca ordine quarto. radix in ſino recto poſtquã in pilulas conformata eſt admota pectori confert, pituitam trahit, et inſtaurat ob eius redundantiã contabefcentes.

## De MECAXOCHITL. Cap. XIII.

VOLVBILIS herba eſt *Mecaxochitl* binos dodrantes longa, per terram repens, folia ferens magna, pingua, obrotunda, odora, et acris ſaporis. caules teretes, contortos, et (præterquam vnde oriuntur pediculi) leues, per terram repentes. ac circa ſingulos foliorum exortus, radices oriuntur fibratz, capillisuè pares. fructus Piperi longo perſimilis eſt. Nascitur humectis locis regionum feruentium, qualis eſt *Quauhnahuaceniſis*, et *Hociacocotlenſis*. quarto gradu calida eſt, et tertio ſicca natura. et fortaffis ad Piperis longi ſpecies attinens. Bibitur cum *Cocacati*, gratumq; illi ſaporem cõciliat. cor roborat, ventriculum calefacit, oris halitum commendat, craſſos lentosq; humores attenuat, ad-

uerſatur

uerſatur venenis, iliacis, & cholicis confert. vrinam euocat. menſtrua, ac partus emortuos trahit cum *Tlixochitl*, viuofq; accelerat. obſtructa referat. frigora, & ex eis ortos dolores tollit. rigoribus febrium opitulatur. & alia his ſimilia præſtat iuuenta.

## De OLILIVHQVI, seu planta orbicularium foliorum. Cap. XIV.



OLILIVHQVI, quam *Coaxihuitl*, ſeu herbam Serpentis alij vocant, volubilis herba eſt, folia viridia ferens, tenuia, cordis figura. caules teretes, virides, tenuesq;. flores albos, & longiuſculos. ſemen rotundum ſimile Coriandro, vnde nomen. radices fibris ſimiles. calida quarto ordine planta eſt. luem Gallicam curat. dolores è frigore ortos ſedat. flatum, ac præter naturam tumores diſcutit. puluis reſina mixtuſ pellit frigus. luxatis aut fractis offibus, & lumbis ſceminarum laxis, aucto robore mirum auxiliatur in modum. S eminis etiam eſt vſus in medicina, quod tritum, ac deuoratum, illitumq; capiti, & fronti, cum lacte & *Chilli*, fertur morbis oculorum mederi. deuoratum verò, venerem excitat. Acri eſt ſapore, & temperie, veluti & planta eius, impenſè calida. Indorum ſacrifici cum videri volebant verſari cum Superis, ac reſpoſa accipere ab eis, ea veſcebatur planta, vt de-

fiperent, milleq; phantaſmata, & dæmonũ obuerſatium effigies circumſpectarent. qua in re Solano maniaco Dioſcoridis ſimilis fortaffe alicui videri poſſit.

Nata eſt hæc planta in horto D. Corumi, Pharmacopole in plantarum notitia expertiſſimi, & curioſiſſimi; qua inſpecta facile cuius erat indicare, eam Conuoluulis annumerandam eſſe, vnde & vires vtriuſque apte congruunt.

Smilaces leues phantaſmata varia gignere etiam apud antiquos notum ſuit. vnde Dioſ. ait Conuoluulum cum Dorycnio ſumptum turbulenta ſomnia gignere. quod ei commune eſt non ſolum cum Solano maniaco, ſed etiam cum *Papauere*, *Hyoſcyamo*, *Banguè*, *Fabis*, *Nicotiana*, omnibusq; alijs narcoticis. hæc enim multitudine fumorum quibus caput occupant, ipſos ſpiritus animales variè agitant, & diuerſas ſpecies eis, vt & ebrijs inducunt.

Ad maiorem porò Authoris declarationem, libuit apponere ea, quæ à R. Patre aſſiſtente Hiſpaniarum Societ. I E S V accepi conſcripta ab Americis Medicis, qui inquirunt. Omnem dolorem ortum à calore vel frigore, in quavis corporis parte, ex ana iſta in puluerem redacta tollunt. In doloribus podagricis vſus eſt talis. Pars dolens vngatur oleo *Abietis*, vel *Liquidambar*, vel *Melle albo*, vel in defectu horum omnium oleo calido; deinde puluerem inſperge, & ſpatio breuiſſimo videbis viros effectus.

N

Si duo.